



4, 117. N  
274

1765, 1

DISSERTATIO JURIDICA  
DE  
**JURE CULMENSI**  
INDOCTRINA DE CONTRACTIBUS  
EX LEGIBUS ROMANIS  
EMENDATO


QVAM  
PRÆSES  
PRÆNOMINISSIMUS EXCELLENTISSIMUS AC JURIS  
CONSULTISSIMUS DOMINUS  
**DN. DANIEL GRALATH**  
JUR. VTR. D. JUR. ET HISTOR. PROF. PUBL. ORD.  
ET ATHEN. INSPECT.

ET  
**GOTTLIEB WERNSDORFIUS**  
GEDANENSIS  
ALUMNUS FISCHERO FERBERIANUS  
DIE XXVII. JUNII A. R. S MDCCLXV.  
**IN AUDITORIO MAXIMO**  
PUBLICE DEFENDENT  
CONTRA OPPONENTES  
CHRISTIANUM EMANUELEM FROM, MAR. BOR.  
BENJAMIN GOTTLIEB SCHMIDT, DANTISC.  
ERNESTUM SIGISMUNDUM DE BUCHHOLTZ,  
EQV. CURONUM.

GEDANI,  
TYPIS THOMÆ JOANNIS SCHREIBERI, MAGNIF. SENATUS  
ET ATHENÆI TYPOGRAPHI.

**PATRONIS  
ATQVE  
FAUTORIBUS**

S.



DE  
JURE CULMENSI IN DOCTRINA  
DE CONTRACTIBUS EX  
LEGIBUS ROMANIS  
EMENDATO.

CONSPECTUS.

Fons & origo Juris Culmensis est Jus Germanicum, imprimis Saxonicum  
§. 1. 2. Interim diversae sunt opinione, ubi Jus Culmense primo con-  
gestum & compilatum fuerit §. 3. Recens conjectura, Jus illud ex Polonia  
in Prussiam translatum esse §. 4. 5. De emendationibus Juris Culmensis §. 6.  
In quibus colligendis haud exiguum usum præstitat Jus Romanum §. 7. Quod  
probatur primum generaliter, deinde speciatim per exempla in materia con-  
tractuum ostenditur §. 8. De distinctione inter mutuum & commodatum ex  
Iure Romano recepta §. 9. 10. De actione in duplum ex retentione depositi  
misericordia oriunda §. 11. 12. De contractu pignoratitio §. 13. 14. De con-  
tractibus verbalibus, in primis de fidejussione §. 15. 16. De singularibus qui-  
busdam in contractu emtionis venditionis §. 17. 18.

A

Jus

DE JURE CULMENSI IN DOCTRINA



§. 1.

us Culmense ex Germanico, præcipue ex Magdeburgico Jure, originem traxisse, omni dubio manus est, cum partim legislatores, qvibus introduc<sup>t</sup>io illius Juris debetur, partim Cives subjecti, qui se sancitis eiusdem subjecerunt, partim ipse leges, qva in utraque ejus pagina offenduntur, sat superqve probent, Germaniam & imprimis Saxoniam districtum Culmensem, totamqve Prussiam legibus donasse. Quan primum enim Eqvites Ordinis Teutonic<sup>i</sup> Prussiam nostram intrarunt, leges Germanicas secum attulerunt, quibus ex Germanicis provinciis maximam partem oriundi, a prima juventute innutriti erant, & qvarum introductione, ex pulsis barbaris Ethnicorum moribus, publicæ ac privatae rei, noviter acqvisitarum regionum optime consuli posse judicarunt. Ipsa juris Germanici concessio ulterius probatur ex Privilegio Culmensti, ubi Hermannus de Salza, seu potius post eum Eberhardus de Seyne Praeceptor Domus S. Mariae Teuthonicorum per Alemanniā & Vicesgerens Magistri Generalis per Livoniam & Prussiam, Prussis expressis verbis Jus Magdeburgicum concedit. Parem omnino patriarchum legum reverentiam & amorem retinuerunt isti Germaniae incolæ, qui Eqvites Teuthonicos, cumulatim in Prussiam secuti sunt, & cum novitatis cupidine adacti, tum promissis singularium prarogativarum allecti, mutato pri<sup>m</sup>ino domicilio, perpetuam hinc inde sedem in Prussiam translulerunt. Proinde facile existimari potest, hos omnes Juri Germanico, cui jam domi adsveti erant, nunc in Prussia stabilito eo lubentius subscriptisffe.

§. 2.

Qyod ad ipsas leges Juri Culmensi insertas attinet, certe germanica originis Documentum est, qvod Monomachia in Judicis Prutenis permisæ fuerint. Hoc enim Duellum jam apud vetustissimos Germanos ad probandam causæ justitiæ infreven-

## DE CONTRACTIB. EX LEGIB. ROMANIS EMENDATO. 3

frequenti usu & ipsis legibus concessum fuit, uti docet Capitula-  
re Karoli M. de A. DCCCIII. C. 6. pag. Steph. Baluzii 397. *Si  
actor venerit, ait lex, & rem intertriatam recipere renuerit cam-  
po contendant.* ut etiam Capitulare Regis Dagoberti A. DCXXX.  
C. 41. pag. Steph. Baluzii 69, cujus verba hæc sunt: *Si quis li-  
bero crimen mortale imposuerit, & ad Regem vel ad Du-  
cem eum accusaverit & inde probata res non est, nisi quod ipse di-  
cit, liceat illi alio, cui crimen imposuit cum tracta spatha se ido-  
neare contra illum alium.* Hic mos etiam inter Germanos Chri-  
stianam Religionem professos per multa saecula adhuc viguit, cum  
Christiani cederent, Duella esse Judicia Dei seu ordalia Divina,  
ex quibus divinam quasi voluntatem in rebus arduis atque dubiis  
explorarent. Sunt omnino plura & potiora Juris Culmenis Ca-  
pita, quæ singula, vetustos Germanorum ritus atque mores sa-  
piunt, ad quos etiam ille in judicii usitatus Clamor violentiarum  
(Zeter Geschrey) referri meretur, qui non nisi apud Germanas  
gentes usitatus fuit. Verum non est, cur probationi veritatis  
diutius immoremur, quam ab omni iam contradictione defen-  
sam esse ad unum omnes fatentur. Restat, ut brevibus ostenda-  
mus, unde factum, ut Jus Culmense ex legibus potissimum  
Saxonis & Magdeburgicis compilatum fuerit. Facillime hoc  
perspicitur, dummodo tenemus, plerosque Ordinis Teutonici  
Eqvites, qui in Prussiam venerunt, ex Septentrionalibus Germa-  
niaꝝ partibus prodiisse, quod plures Expeditiones in Prussiam no-  
stram a Ducibus & Princibus Germaniaꝝ inferioris suscep-  
tas esse ex historia constat. v. Hartknochs Pruss. vet. & nov. Part II. Cap.  
IV. §. 2. ubi Saxonica Jura unice laudata & in perpetuo vigore  
fuisse cognitum atque perspectum est. Hinc multæ consuetudi-  
nes & leges mere Saxonica in Jus Culmense migrarunt ut e. gr.  
Capita de rebus Expeditoriis & Geradicis, (Heer Gewette und  
Gerade) quæ apud alias Germaniaꝝ gentes uti Francos, Ale-  
mannos &c. nunquam usu recepta fuerunt: & quid plura  
afferam Exempla Culmenium legum ex Saxonis petitarum,  
cum omnia illa Capita, quæ in Jure Culmeni (quod Tho-  
runii 1584 typis excusum prodidit) de Duello agunt, toti-

A 2

dem

4. OTIA DE JURE CULMENSI IN DOCTRINA

dem plane Verbis in Speculi Saxonici Libri I Art. 63 inventantur.

§. 3.

Qvanquam igitur nemo neget Jus Culmense ex Jure Magdeburgico originem traxisse, minime tamen certum est, ex qvanam regione illud ad nos perlatum fuerit. Nonnulli putant Jus Culmense in ipsa Prussia conscriptum esse, Hartknochius cum seftatoribus suis idem ex Silezia adnos translatum esse credit; utraqve vero sententia conjecturis potius qvam certis nititur documentis, & ex Capite 46 Libri III. Juris Culmenis veteris suspicari possis; Jus illud ex Polonia ad nos pervenisse. Etiamsi Hartknochii opinioni haud in omnibus adstipulemur, laudatum tamen autorem merito excusandum esse censemus, qvod Jus Culmense in Prussia conscriptum esse negaverit, partim qvia multæ leges Privilegio Culmeni contrariae in eodem deprehenduntur; partim qvia Pecunia Bohemica ad polonica monetæ valorem computatur, qva illis temporibus apud Prussos non magis, qvam Bohemica valebat, cum Prussi haberent suam. Praterea Hartknochius in libro Msc. de Testamentis & hæreditatibus inventit, Schützium testari se vidisse Exemplaria cum Veteri Jure Culmeni apprime concordantia, quibus haec prafatio fuerit praemissa: *In nomine Dei æterni, Amen. Omnibus Christi fidelibus præsentem paginam inspecturis, Heinricus Dei Gratia Dux Silesiae & Dominus Vratislavensis, Salutem in auctore salutis.* — *Cum felicis memoria Pater Noster, quasdam Constitutiones & iura Magdeburgensia Vocacione nostræ Civitatis Vratislaviae ipsis siveibus corumque posteris concedere decrevit. Nos qui paternis cupimus reverenter adhærere vestigiis, omnia jura prædicta, statuta sive Constitutiones Magdeburgenses, prouti a Patre Nostro ipsis rationabiliter sunt indulxæ, ratificamus, approbamus ipsasque per ordinem facimus subscribi.* Inde jam Hartknochius verisimiliter inferendum putavit, Jus Culmense ex Silezia ad nos traductum esse.

Nos,

DE CONTRACTIB. EX LEGIB. ROMANIS EMENDATO. 5

§. 4.

Nos, quibus neque doctas aliorum opiniones rejicere animus est, neque qvos privatas cogitationes, licet a prioribus alienas, exprimere quisquam vetat, diffiteri non possumus, Capite 46 Libri III Juris Culmenſis veteris nos in eam opinionem adductos esse, Codicem istius nostri Juris ex Polonia ad nos transmissum esse. Memoratum enim Caput videtur esse Rescriptum Scabinorum Magdeburgensem ad Civitatem Cracoviensem, cum procurator ille (der Schaffer) cuius hic mentio fit, minister regis Cracoviæ appellatur, inde haud ab uno colligere queas Cracovienses leges iuas primum a Magdeburgensis accepisse, & postea fortan in Prussiam misse. Hartknochius quidem hoc Rescriptum ad Vratislavenses datum esse putat, qvod vero veritati parum congruum videtur, cum iis temporibus, quibus Hartknochius Jus Culmenſe conscriptum esse arbitratur, Vratislavia nulla procurator Regis Cracoviæ constitutus fuerit. v. §. 35. litt. c. Historia Juris Culm. præmissæ editioni Juris Culmenſis ex ultima Revisione de A. 1745. Neque caput illud Rescriptum Scabinorum Culmenſium ad Cracovienses esse potest, quia nusquam Cracovienses ad Culmenſes provocasse reperiuntur.

§. 5.

Sententiam nostram uberiori corroborant scripta Cromeri, ex quibus cognoscimus, temporibus Cafimiri M. multos Germanos in Polonia fuisse, eosque Iure Magdeburgico usos fuisse, & ad Magdeburgenses provocationibus litigasse. Verba Cromeri Lib. XII. hæc sunt: *Nec ipsos modo Theuthonos jure suo Saxonico sive Magdeburgensi uti permisit: sed suis quoque Polonis, nobilitate excepta id indulxit.* Qyoniam vero ab iis judiciis ad Magdeburgense Tribunal provocabatur, non sine quadam ignomina Poloni nominis, & magno sumptu ac dispendio litigantium sustulit eam provocationem Cazimirus, & in arce Cracoviensi supremum & provinciale judicium Teutonicum constituit, ad quod provocationes omnes ab inferioribus judicibus ex tota Polonia fierent.

rent. Imo jam Boleslaus Pudicus Civitati Cracoviensi Jus Saxonum seu Magdeburgensem, quod etiam Stredensē seu Teuthonicum vocant, quo pleraque oppida vici & pagi in Polonia utebantur, concessit, quemadmodum testatur Cromerus Lib. IX. p. m. 170. Notissimum igitur in Polonia tum temporis fuit Jus Magdeburgicum, utpote quo permulta oppida utebantur: quibus satius perpenitus ex ulteriore forsitan zvo, quam vulgo fieri solet, compilatio Juris Culmensis petenda foret. Ille enim Heinricus, Dux Silesia, quem Schützii, ait, Jus Culmense conscribendum curavisse, nobis videtur esse Heinricus Barbatus, Tutor Boleslai Pudici, quem Cromerus Lib. VIII. p. m. 139 in Polonia meliores leges sanxisse, ait. At occurrit, inqvis, in Capite 92 Libri IV. editionis veteris Annus 1321, cum tamen Heinricus Barbatus jam Anno 1238 Crosnae diem supremum obierit, adeoque Jus Culmense conscribendum curare non potuerit. Ad hanc objectionem cum Hartknochio respondemus, aut in aliis Exemplaribus allegationem alius forte anni occurrere, aut si omnia penitus Exemplaria in anno conveniant, hoc caput posterioribus denum temporibus Volumini Juris Culmensis insertum esse. Nihilominus ipse laudatus Author alia quamplam dubitandi ratione motus dissentit, Heinricum Barbatum fuisse Principem, sub cuius regimine jus illud congestum fuerit, quia Hermannus Conringius ex rationibus haud contemnendis concludit Jus Weichbildicum, e quo sine dubio Jus Culmense depromptum sit, circa coetnia Sæculi XIII & XIV denum in litteras redactum esse. Interim & hanc sententiam statim mutavit & ex Cromeri loco, quem jam antea adduximus, emendavit, cum jam Boleslai Pudici temporibus Jus Magdeburgicum cognitum & in plerisque Poloniae oppidis usitatum fuisse, exinde evidens fiat. Restarent forte plura argumenta, quæ Sententia nostræ de Jure Culmenzi ex Polonia in Prussiam advectâ apprime faverent, inter quæ non ultimum locum occuparet illud Hartknochii, quod moneta Bohemica sibi ad Valorem polonica computatur: quoniam vero cavendum est, ne a scopo nostro nimium deflectamus, misso veteri Jure Culmenzi, & variis opinio-

## DE CONTRACTIB. EX LEGIB. ROMANIS EMENDATO. 7

opinionibns de ejus introductione obviis, nunc ad emendationes  
hujus Juris progrediemur, quarum succincta Expositio nobis ad  
collationem ejus cum Romano viam parabit.

### §. 6.

Cum permultis veteris Juris Culmensis Capitibus leges  
plane inutiles atque vetustiorem superstitionem redolentes, in-  
super sancta partim obsoleta, partim recentioribus moribus con-  
traria continerentur, procedente tempore autoritas ejus in Prus-  
sia multum decrevit. Ipsi Principes &que ac alii Viri rerum ju-  
ridicarum periti perspexerunt, opus omnino esse accuratiore  
emendatione, ut illud Jus Culmense in foris Prussicis utilitatem  
& pristinam autoritatem servare possit. Vnde tandem ineunte  
Sæculo XVI. consilia de corrigendo Jure Culmense inita fuere.  
Plures Congressus Ordinum Terrarum Prussia eum in finem in-  
stituti sunt, e quibus quidem, ob dissensiones & controversias  
subortas, maximam partem infecta re discessum fuit, interim  
tamen ii non omni fructu caruerunt, cum ipsæ emendationes sa-  
pius tentata fuerint, & privato consilio perfectæ, qvarum licet  
nulla sibi publicam autoritatem vindicare possit, tacitum saltim  
usum in foris obtinuerunt. Jam Sigismundus I. Rex Poloniarum,  
precibus Prussorum exoratus A. 1526. in Conventu quodam Ma-  
riæburgensi Jus Culmense emendandum curavit. Sed hæc Cor-  
rectio minus prospere successit. Postea ex Conventibus aliis il-  
lum secutis aliae prodierunt emendationes, qvarum potiores hæ-  
sunt. A. 1540. Ordines Terrarum Prussæ Palatino Mariæbur-  
gensi Baysenio Curam emendationis demandarunt, qui etiam  
hoc negotium in se suscepit & hæc Correctio Bayseniana instar  
fundamenti ceterorum omnium fuit. Prima Emendatio, qvæ  
typis excusa est, est illa, quam Varmiensis Episcopus Stanisl. Ho-  
fius una cum D. Jona Helden ex Ducali Prussia ad id negotii mis-  
so & Georgio Kleefeld Præcos. Gedanensi curavit, atqve 1566  
Heilsbergæ perfecit. Tertia Correctio instituta est Neofori 1580  
d. 8 Martii præsentibus Episcopo & Palatino Culmensibus, Præ-  
cos. Thorunienli D. Ma. Mochinger, Syndico Gedanensi D.

Heinr.



Heinr. Lemke & Legato Ducis Prussiae D. Hieron. Rode. Quar-  
ta Emendatio instituta Grudenti 1585 d. 25 Novemb. propter dif-  
fensum Nobilitatis Culmensis & Pomerelliae irrita fuit. Sexta  
Thorunii instituta 1594. d. 3 Februarii, ubi cura correctionis  
delegata fuit Syndico Gedanensi D. Heinr. Lemke & Praecos.  
Mariæburgensi D. Gregorio Heesè. Hi viri etiam novam Cor-  
rectionem in se suscepunt privato studio perfecerunt, quam deinceps  
non solum Gedanenses, verum etiam omnes fere civitates  
Prussiae polonicae minores pro norma receperunt, licet in judi-  
ciis aulicis nulla alia valeat, nisi illa quæ Neofori confecta est, in  
Episcopatu vero Varmiensi summam autoritatem habeat Corre-  
ctio, quæ Heilsbergæ cura Episcopi Varmiensis prodit. Cæ-  
terum quod ad scopum hujus nostræ Exercitationis attinet, præ-  
monendum esse ducimus, nos in enumerandis qvibusdam Juris  
Culmensis emendationibus ex Jure Romano quæsitis, in primis  
postremæ illius Correctionis rationem habituros esse, quam curæ  
& moderamini supra laudatorum Virorum Lemke & Heesii de-  
bemus, id quod eo meliori jure a nobis fieri posse arbitramur,  
cum Neoforensis editio, quæ in aula valet, principalis hujus  
norma fuerit.

### §. 7.

Ex iis, quæ supra memoravimus illico liquet, quanto-  
pere Majores nostri solliciti fuerint, de reformando Jurispru-  
dentiæ statu, & de certitudine legum in Prussia stabienda. Sin-  
gulæ enim Juris Culmensis emendationes eo tendebant, ut  
quæ præclare antiquitus disposita erant, in meliorem ordinem re-  
digerentur, quæ retineri non poterant, ex possessione valoris &  
gratia dejicerentur, quæ tandem plane deficiebant, vel ex aequi-  
tate morum dijudicata, vel ex peregrinis legibus quæsita, adjic-  
cerentur. Nec eruditis memorati Juris Correctoribus vitio ver-  
ti potest, quod saepius repetiti laboris scopum haud perfecte ad-  
secuti sunt, cum portius dolendum, quod dissensiones Statuum  
& Ordinum diversarum Prussiae regionum, tot impedimenta  
optimo instituto objecerint. Quæ interim adsunt, & tacitam in

## DE CONTRACTIB. EX LEGIB. ROMANIS EMENDATO. 9

in foris autoritatem, obtinuerunt, satis testantur, non unicūm fuisse fontem, ex qvo Reformatores Juris Culmenſis haſerunt. Facile quidem perfici potest, eosdem primario rationem habuisse legum Prussicarum, qvā jamjam alibi exstabant, ut & juris consuetudinarii, qvod ſibi aqvitatis ratione ſuffultum, potius jus in iudiciis vindicaverat: adhac vero non temere neglecta ſunt ea, qvā, cum in jure domēſtico fruſtra qvarerentur, ex alienis legum collectionibus præclare diſpositis, apprime arceſſi, & ciuitate donari poterant. Extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt, inter ejusmodi jura ſubſidiaria, qvā recte emendationum Culmenſium ſeaturinges, appellaveris, non ultimum locum tenuiſſe Jus Civile Romanum. Partim commune illud ſtudium, qvo Jurisprudentia Romana a ſeculo inde duodecimo in Italia prium, paulo post in Germania ac universa fere Europa receptum fuit, partim ipſa præſtantia, qvā plurimis veterum Romanorum ſancitiſ ineſt, ſufficienter probarent, doctrinam Juris Romani in Prussia notiſſimam fuisse, & Reformatoribus noſtris haud exiguum correctionum fontem aperuiſſe: qvenadmodum & Adamus Riccius in Tract. Rhapsod. de lib. Jur. qvant & qvalitate, hiſ verbiſ innuit: Incole Pruffiæ vulgatum *Jus Culmenſe* qvinq̄ libris comprehenſum ſecuti fuerunt: ita tamen ut in caſib⁹ omiſſis *Jus Magdeburgicum* vel hoc etiam deficiente, ſpeculum Saxonum, & hoc iterum tacente, *Jus Civile Romanum* ſequentur: qvin evidenti teſtimonio eſt, *Jus Romanum* Pruffis minime ignotum fuisse, qvod A. 1545 confiliis de revidendo Jure Culmenſi initis, Ordines terrarum contradictione ſua instauratiōnem Senatus conſulti Vellejani in Prussia prohibuerint. Verum non eſt, cur in generalibus ejusmodi argumentis, pro Jure Culmenſi ex ſancitiſ Romanis emendato, acqviſcamus: potius opera pretium erit, hujusmodi exempla iñſtar documentorum, in medium protuliffe, qvā ex antiquiſſimis Romanorum ritibus ſolum explicari queunt, adeoq̄ ceu Juri Romano propria unice conſiderari merentur.

### §. 8.

Limites qvos exercitationi noſtræ præſcribendos eſſe duximus, prohibent, qvo minus, omnibus romanarum legum B vesti-

10 ETAT DE JURE CULMENSI IN MATERIA

vestigiis, in Jure Culmensi reperiundis, infistamus. Sunt omnino in singulis sere materiis, quæ saltem Jurisprudentiam romanam tetigerunt, integra capita, quæ rite considerata, non nisi ex illorum statutis apprime deduxeris, & non modo convenientiam quendam præ se ferunt, sed exinde, tanquam e fonte hausta sunt. Sic in doctrina de tutelis & prescriptionibus per multa obveniunt, quorum usus solis Romanis olim proprius fuit, quæ inde in Germanica jura & æqvitatis ratione etiam in Culmense nostrum transierunt. Testamentorum usum olim omnino nullum in Germania fuisse, Doctores Jurium peritissimi diu agnoverunt: unde patet, universam sere de successione testamentaria doctrinam ex præceptis Juris romani dijudicandam esse, hodieque testamenta eundem favorem apud nos retinere, quem Jus commune ipli assignavit, nisi facultas testandi, aliudve de testamentaria dispositione sancitum, ex peculiaribus juris patrii rationibus restrictum esse intelligatur. Pari modo circa determinationem legitima liberorum in Jure Culmensi emendato præceptum deprehendes, quod Romanos leges perfecte sapit, licet consuetudo forensis has leges minus tueatur. Etenim Capite XII. Lib. III. Tit. VIII. idem præcipitur, quod in Nov. 18. Cap. I. & Auth. Novissima C. de inoff. Test. sancitum est, quotiescumque nimirum quatuor aut pauciores ad sint liberi, legitimam constitutam parte bonorum; si quinque vel plures ad sint, dimidia, secundum versiculum vulgatum.

Quatuor aut infra dant natis jura trientem,

Semissem vero dant natis quinqve vel ultra

Arbitrium sequitur substantia cetera patris.

Interim Praxis cum hac legis dispositione non consentit, cum secundum hanc, in univerla Prussia, legitima liberorum dodrante demum absolvatur. Ast non diutius immorabitur generalibus ejusmodi testimoniis, quæ ad probandam sententiam nostram permultum faciunt, nempe Correctores Juris Culmensis Corpus Juris Romani sapissime consuluisse. Jam properamus ad primarium commentationis nostra scopum, ubi in doctrina de contractibus specialissima quædam exempla enumerare con-

stitu-

## DE CONTRACTIB. EX LEGIB. ROMANIS EMENDATO. II

situimus, quæ emendationes Juris Culmensis ex legibus Romanis petitas, maxime perspicuas reddent. Sane ab initio flatim occurrendum est objectioni cuidam, qua facilis prævideri potest, ast non propulsata, totam instituti nostri rationem, primo intuitu vanam & plane inutilem redditura esset. Non dubitamus, fore nonnullos, qui integrum de pacis doctrinam, principis juris naturalis proxime superstructam, adeoq; apud omnes gentes peræque custoditam esse, recte affirmabunt: inde autem ulterius forsitan colligent, nos incassum agere, qvod doctrinam Culmensem de contractibus, ex Jure Romano petamus, quuna hic potius ad primas æquitatis naturalis regulas descendendum sit, quippe quæ Romanis pariter ac nobis per se cognita atque perspecta fuerunt. His itaque respondendum est, nos minime in generalibus, & ex naturali æquitate claris dogmatibus, quasi futuros esse, utrum leges Romanae atque Culmenes plane eadem sint, sed ea saltem in medium prolaturos esse, quæ arbitrati ciuilium legislatorum maximopere debentur.

### §. 9.

Contractus secundum Jus Naturæ nihil aliud sunt, quam Pacta, cum vero omnia pacta promissionem ab altero seriat& deliberata mente acceptatam denotent, quævis pacta æquali ratione sunt servanda. Hanc naturalem doctrinam Germani, quos nulla unquam gens sive superasse censetur, pure receperunt. Qvod vero Jus Civile Contractus a Pactis discernat, inde factum, qvod perfectas obligationes, quæ actionem in foro producunt, ab iis distinxit, quæ ceu imperfectæ non actionem, sed ad minimum exceptionem dabant, ceteroquin conscientia & bona fidei promittentis committebantur. Posteaquam autem Jus Romanum, apud Germanos in sublium receptum, ac discriminari pactorum & contractuum in iuribus Germaniæ particularibus non derogatum est, præsumtio in materia contractuum omnino pro jure Romano capienda erit. Hæc cum dictis in præcedente spho artius collata, nobis rationem indicabunt, cur generalia de contractibus præcepta, etiam in Jure Culmensi ex peregrinis

12 DE JURE CULMENSI IN MATERIA

legibus unice deducenda sint. His igitur præstructis accedimus ad ipsam collationem legum Culmensem cum Romanis. Sat superque nota est differentia, quam Jus Civile inter contractus reales, verbales, litterales, & consensuales statuit: hanc licet non verbotenus, re ipsa tamen in Jus Culmense traductam esse deprehendimus, in cuius Libro IVto contractus eodem fere ordine pertractantur, solo litterali omisso, quippe cuius usus ex foro Romano non omnis supereft. Qvod primum ad contractus reales adinet, novam distinctionem ex Jure Romano qvæ sitam clare reperimus inter mutuum & commodatum, quam Germanis qvondam parum cognitam fuisse, ex sequentibus patebit.

§. IO.

Leges germanicæ, si unicam Wisigothicam exceperis in eo penitus confirant, qvod nusquam differentia cuiusdam inter contractum mutui & commodati mentio fiat: unde & in ho- diernum usque diem vocabula pleraque, qvibus de mutuo uti- mur, contractui commodati itidem communia sunt, uti leihen, lehnen, borgen, vorstrecken. Haud raro, si dicendum qvod res est, Germani mutuum & commodatum confuderunt, unde fa- cile colligi potest, eosdem neque certas regulas ubique habuisse, secundum qvas uterque contractus in specie dijudicaretur, neque specialibus legibus, qvales Romani tenuerunt, usos esse, quo accuratius hi duo contractus ab se invicem discerni potuerint. Investigationem hujus rei altius petere superfluum foret, quam ill. Heineccius eandem in jure Germanico lib. II. Tit. XII. pro consveta eruditione indagaverit. Ponit ille rationem memoratæ confusionis potissimum, in raritate numeratæ pecunia apud ve- teres Germanos, teste Tacito de mor. Germ. Cap. V. utpote qvos neque rerum inopia, neque luxuria ad æ alienum contrahendum cœgit, conseqventer nec usus hujus contractus, qui ut pluri- sum traditione pecunia perficitur, sese facile exferere potuit. Nibilo tamen feciūs, qvum mutuum qvavis re fungibili confiste- re possit; negat ill. hic Scriptor, contractum mutui inter Ger- manos penitus inauditum fuisse, concedens perrarum fuisse, & senten-

DE CONTRACTIB. EX LEGIE. ROMANIS EMENDATO. 13

sententiam suam lege Wisigothica confirmat, cuius inscriptio commodati saltim memin t, in variis autem §§phis de commoda-  
to, & postea de pecunia commodata (seu de mutuo) agit. Interim fatendum & facile ex modo dictis inferendum, singulares illas & admodum accurate enunciatas leges, de mutuo & commoda-  
to, minime ex libris germanicis, sed rectius ex solo Corpore Juris Romani arcessendas esse.

§. II.

Aliud sanctum, legibus Romanis exacte respondens occurrit in Capite III. Tit. III. Lib. IV. Juris Culmensis, ubi pœna ob negatum depositum miserabile, stabilita legitur. Sane Germanis non minor vilâ est religio depositi, quam ulli alii genti, restitui illud jubeant Domino, simulatqve hic illud repetiſſet, imo qvi istud dolo malo non restituerat, vel qvod pejus est, plane abnegaverat, in certam multam condemnabatur, veluti in tertiam vel quintam partem pretii rei depositæ, prout videre est in Capitulo Lib. V. Cap. CCIV. Atqne squalidus, singulare ejusmodi præcriptum circa depositum miserabile, in collectionibus Germanarum legum reperimus, quale citato Juris Culmensis loco exstat; nimurum, actionem in duplum concedendam esse ei, cui alter depositum miserabile, dolo malo abnegare ausus esset. Reſte itaque concludendum arbitramur, ex ipſo textu Juris Romani, Correctores Juris Culmensis, memoratam legem, Codici nostro inseruisse, quippe qvæ non modo in L. I. §. 1. & L. 18. ff. Depositi vel contra, iisdem verbis extat, verum etiam ex antiquissimo Jurisprudentia Romana statu arcessi & melius explicari potest & ob plenam causa iustitiam, qvæ ipſi inest, non potuit non ſeſe Reformatoribus admodum commendare.

§. 12.

Jamjam ex legibus duodecim tabularum contractus De-  
positi apud Romanos id singulare habebat, qvod qvi do'um ma-  
lum ibidem commiliſſet, ad pœnam dupli condemnaretur: unde  
lex ait: Siqvid endo deposito, dolo malo factum eſcit, duplio-  
ne luito. Hæc pœna non tantum inficiando crescebat, ſed qvivis

omnino depositarii dolus, dupli ejus rei praestatione vindicabatur, quam quis custodiendam tradiderat. Schulting. Jurispr. Antijust p. 771. Quid etiam adeo dirum Veteribus videbatur istud crimen, ut quenvis de deposito negando cogitantem a Diis cum univerla familia extirpatumiri crederetur, cuius horris documentum colliges ex Juvenal. Satyra XIII. v. 199 seqq. Quid alii penis naturalibus maxime detestandis, detrectatores rei credita afficerentebantur, ut haud mirum esset, Decem viros hujusmodi hominum monstros, rigorosam quoque penam civilem statuisse. Tractu temporis vero Prator hanc penam mitigavit, & actionem in simulum tantum dedit, praterquam si depositum esset miserabile i.e. tumultus, incendii, ruinæ, naufragij causa commissum, quo casu veterem dupli penam retinuit, L. 1. §. 1. Dep. vel contra. Proinde patet hanc legem a Correctoribus in Jus Culmense translatam, ex antiquissimis inde Romanorum prescriptis & editis protectam esse.

### §. 13.

Novum exemplum emendationis ex Jure Romano petitæ suppeditat Caput I. Lib. IV. Tit. IV. Juris Culmenis emendati, quod in omnibus cum Jure Romano consentit. Nam secundum Jus Civile Pignus est contractus, in utriusque contrahentis utilitatem initus, quo debitor creditori in securitatem debiti rem aliquam tradit, & Creditor Jus in re accepit, eam rem vero, soluto debito in specie reddere cogitur. Creditori autem dato pignore non utsi rei, sed tantum possessio & custodia traditur, nisi pactum *avtixentes* adjectum fuerit. Cum igitur Pignus in utriusque contrahentis utilitatem introductum sit §. ult. Inst. Quibus mod. re contr. oblig. uterque contrahentium ad culpam levem praestandam tenetur L. 2. §. 2 ff. Commodati v. c. Sin vero fine creditoris culpa Pignus perierit, Creditor nullum damnum incurrit & nihil secius solutionem debiti petere potest §. fin. Inst. Quib. mod. re contr. oblig. In omnibus his articulis Jus Culmense emendatum Juri Civili consentit, adeoque proxime hæc lex exinde deducenda videtur, in primis, cum Jura Saxonica, quæ alioquin in fronte Juris nostri conspiciuntur, hic penitus diversa

DE CONTRACTIB. EX LEGIB. ROMANIS EMENDATO. 15

versa sint, adminimum, notabilem exceptionem ab hac regula, qvoad pecudes admiserint. Ita enim sancitur in Speculo Saxon. Lib. III. art. V. *Si equus vel animal obligatum moritur sine Creditoris culpa, hoc solvere non tenetur, si id probaverit & ut juris est a dolo se se excusaverit; summan autem debiti, in qua obligata fuit res illa per hoc amittit Creditor, nisi aliter in Contractu fuerat stipulatum.* Majus sine dubio pondus sententia nostra adjicit generalis hæc obseruatio, qvod præcepta Juris Romani, circa contractum pignorarum a Reformatoribus legum Culmensium in singulari observantia habita fuerint, id qvod unico adhuc exemplo hic addendo ulterius probare conabimur.

§. 14.

Caput VIII. supra allegati Tituli etiam ex Jure Romano haustum esse contendimus. Præcipit illud, priori Creditori potius Jus afferendum esse in Pignore, quam illi, cui pignus postea oppigneratum, prius vero traditum sit. Eodem enim modo in L. 12. §. 10. Qvi potior in pign. edicitur, eum, qvi prior convenerit de Pignore, licet posteriori res tradatur, potiorum Jure esse debere. Si vero paratus est posterior creditor, priori Creditori solvere, qvod ei debetur, priori Creditori nulla competit actio: cum per eum fiat, ne ei pecunia solvatur L. 11. §. 4. ff. ej. Tit. Hoc Jus prioris Creditoris adeo firmum atque validum est Jure civili, ut etiam fisco præferatur L. 21. pr. ff. ej. Tit. Enim vero interdum posterior Creditor potior fit priore, utputa si in rem oppigneratam conservandam in pensum est, qvod seqvens credidit; hujs enim pecunia salvam fecit totius pignoris causam l. 5. & l. 6. pr. ff. ej. Tit. His quidem Juris Romani sancitis appprime subscrribit Jus Culmense emendatum; veruntamen Praxis hæc præcepta deferruit, & sicut ex Mevio ad Jus Lübec. L. III tii. 4. art. 5. n. 32 & 33 intelligi potest, adhuc omnino gravia argumenta, qvapropter priori pignoris possessori, melius jus tribuendum esse asseritur. Hic enim Juris Consulti haud absonte ex differentia obligationum rei & persona philosophantur, ac favore possessionum in subsidium vocato possessorum, in possessione

fessione sua tueruntur; ne sublata personali obligatione, realis simul corruat. Hac enim tanquam principali extincta, realis tanquam accessoria per se perit: quamvis vero obligatio realis erga Creditorem priorem extingvatur, jus tamen personale, quod ipsi competit, hanc ob causam minime definit. Enim vero integrum manet creditori, actione hypothecaria adversus debitoris personam experiri; & in alia ejus bona non obligata immisso nem petere. Inde jam apparet, quam propter pignus traditum tenens semper potior sit eo, cui eadem res quidem obligata est, quam vero nondum possidet vid. Carpzov. in Jurispr. for. part. 2. Const. 23 def. 32. Corruit itaque in hoc causa axioma Juris Communis, quod, qui prior tempore, inquit, potior est jure, & hoc non tenere fieri meditandi evidens fiet.

## §. 15.

Quod ad contractus verbales adtinet, quos nunc ex communi Doctorum dispositione, ordo tangit, quos etiam in Jure Culmenzi singulare titulo propositas deprehendes, supra jam monuimus, stipulationes, moribus hodiernis non ut apud Romanos, responsonem congruam & in continent ad alterius interrogationem factam reqvirere, sed hujus doctrinae usum penitus desuisse. Nostris temporibus, stipulationes exqvantur pactis, quae rite inita, actionem non minus quam exceptionem producant, adeoque, ex Germanorum legibus proxime dijudicari debent, quamquam haud negandum sit, & ex romani Juris prescriptis, multa superesse, quae in materia stipulationum utiliter applicari queunt. Alterum contractuum verbalium genus constituant fidejussiones in Jure Culmenzi, quo ipso illud cum Romano concordat. Frequentes olim inter germanicas gentes, fuisse fidejussiones ex antiquis legum collectionibus evidentissimum est. Fidejussiones ipsi erant, conventiones, quibus quis alterius accedebat obligationi, sequente, quod a debitore principali non praestaretur, præstitutum pollicebatur. Qui talem obligationem in se suscipiebant, wadii, & si a republica darentur gesiles (Geisel) vocabantur Car. du Fresne Gloss. lat. voce fidejussores

p. 426.

DE CONTRACTIB. EX LEGIB ROMANIS EMENDATO. 17

p. 426. Tametsi autem conventionem ipsam cum Romanis commune habuerint, leges tamen circa eandem praescripta a Jure communi admodum discrepant. Pauci tantum inter Germanos obligationem fidejussoris, ipso jure subsidiariam esse statuerunt, nec alios nisi Burgundiones atque Francos merito illuc retuleris, cum Ill. Heinuccio Jur. Germ. Lib. II. Tit. XVI. Reliqvæ Germania gentes, tantum abest, ut ullo modo pepercerint fidejussoribus, ut neqve optionem dederint creditori, hos an debitorem principalem prius convenire mallet, qvemadmodum apud Francos usitatum fuit, neqve fidejussoribus beneficium ordiuis sive excussionis concederent. Luculenter hoc probatur ex Constitutione Ottonis II. Imp. qvam Schilterus ex Goldasto accuratius descriptam protulit Exerc. XLVIII. §. 19 & 22, vi cuius fidejussor exceptione ordinis seu excussionis uti expresse prohibetur, & contra probare tenetur, debitorem principalem soluisse. Proinde ex his recte cum Hertio, genuinum significatum triti illius proverbii evinces: den Bürgen muß man würgen. Hert. paroem. Jur. Lib. I. §. 94.

§. 16.

Jus provinciale Saxonicum, communis Germanorum suffragio, qvod fidejussoris & principalis debitoris, par utique fit obligatio, proxime adstipulatur, unde in Speculo Saxon. Lib. III. art. 85 expressis verbis sanctum legimus: fidejussorem pariter ac debitorem ab initio statim valide conveniri posse, & neutrum liberari, nisi liquido probaverit, nomen esse expunctum. Eadem legem, totidem fere verbis in Jure Weichbild, art. XXXI. repetitam invenimus, unde evidenter patet, Creditorem beneficio excussionis in judiciis Saxonicis olim destitutum fuisse. Qvæ cum ita sint, singulare qvoddam omnino in collatione Juris Culmensis cum Saxonicō, circa fidejussoriam obligationem occurrit. Tametsi enim, Culmenses leges ex Weichbildico Jure maximam partem petitas esse, nemo facile negaturus sit, hac tamen in causa in apri-co est, Compilatores Juris Culmensis præcipuum, ex quo cetero-

C

quin

qvin hauserunt, fontem, penitus deseruisse. Nam Caput 117 Iuri Culmenis veteris, beneficium ordinis, tangam fideiussori competens, disertis verbis proponit, cuius tamen in libris saxoniarum legum ne volam quidein, sed contrarium potius exstare probavimus. Proinde suspicendum est, in hoc capite sanciendo, vel aliarum Germanarum gentium leges, vel consuetudines recentiores, vel ipsa Jura peregrina, pro norma recepta fuisse. Qvantum itaque expediti Juris sit, beneficium ordinis, in favorem fideiussorum introductum, germanicis quoque gentibus, saltem non omnibus haud plane incognitum fuisse, eadem tamen certitudine afferendum erit, cetera fideiussorum beneficia, divisionis nempe & cedendarum actionum, in Germania olim nusquam audita atque laudata fuisse. Non nisi in Jure Romano postea communi facto, horum beneficiorum vestigia offenduntur, unde colligimus Emendatores Juris Culmenis eadem exinde recepisse, ac Capiti III. tit. XI. Libr. IV. sancitis Romanis parum tantummodo mutatis, inseruisse. Jus Culmense & que ac Jus Romanum §. 5. Inst. de Fideiuss. Fideiussoribus tribuit beneficium divisionis, si omnes se in solidum obligaverint. Excipit vero Jus Culmense illum casum, si omnes pro uno & unus pro omnibus seu cum in solidum, sese obligaverint, tunc enim Jure Culmeni creditor libera datur potestas, num omnes an unum tantum convenire, & ab eo solutionem petere velit; tacite huic beneficio renunciasse videntur, qvapropter eodem uti nequeunt. Si porro ab uno fideiussore Creditor jam totum Debitum solutum accepit, secundum Jus Culmense emendatum actiones cedere debet illi Fideiussori, a quo solutionem accepit, qvibus ille id, qvod ultra ratam solvit a Confideiussoribus repetere possit. Secundum Jus Romanum strictum cessio fieri debebat, anteqvam solvebatur debitum. Solutio enim Debito, obligatio ideoque & actio cessat L. 67 ff. de solutionibus. Si vero solutio facta est ea conditione, ut actiones cedantur, potest cessio & post solutionem fieri L. 76 ff. de solut.

§. 17.

## §. 17.

De litterarum obligationibus, qvibus jam supra dicam scripsimus, in Jure Culmensi speciatim non agitur. Progredimur itaque ad Contractus confensuales, de qvorum primario scilicet Emitione Venditione adhuc singularia qvædam, ex Jure Romano deducta, recensere animus est. Tituli V. Capita VIII. & X. ex Jure Romano pleno jure originem traxisse videntur. Capite VIII. fancitur; Emitione & venditione contracta omne periculum atque commodum rei venditæ ad Emptorem spectare debere, etiam si res nondum tradita sit. Emptio & Venditio enim perfecta est, simulac de pretio inter emptorem & venditorem convenit §. 1. pr. Inst. de Empt. & Vend. & Cap. VI. Juris Culmensis emendati hujus tit. Cum vero Emitione venditioneque contracta Emptor fiat dominus rei venditæ, res vero pereat suo domino; necesse est, ut omne periculum sit Emptoris §. 4. Inst. de Empt. Vend. Pari modo Commodum ejus esse debet, cujus periculum est, qvapropter omne commodum ad Emptorem spectat. Transit quidem incommodum interdum ad Venditorem, si, ut Caput VIII. Juris Culmensis docet, Venditoris dolus vel culpa easum præcesserit §. 4. Inst. Empt. & Vend. qvo facto vero ipsa regula principalis nullam exceptionem patitur. Si quoque mora intervenerit Venditoris L. 4 & L. 6. de Peric. & Commod. rei vend. tunc omne periculum pertinet ad Venditorem. Caput X. Juris Culmensis h. T. disquirit, qvis potior sit in Emitione & Venditione, si res pluribus sit vendita atque ait, possessorum seu eum, cui res jam tradita est, esse potiorem, etiam si postremus contaxerit, nisi jam prior Emptor venditori pretium solverit atque scriptis hunc contractum firmaverit, quæ omnia ex Jure Romano qvæsita videntur; secundum cujus præscripta L. 128. ff. div. reg. Juris & L. 15. C. de rei vind. Possessor semper potior habetur, nisi alter pretium exsolverit L. 15 C. de rei vind. Tunc vero tenetur Venditor ceteris Emptoribus damnum

20 OTAGO DE JURE CULMENSI IN DOCTRINA

refarcire, quod eis dedit, quibus rem venditam non tradidit,  
in quo Jus Culmense emendatum Cap. X. cum Jure Romano  
apprime conspirat.

§. 18.

Tandem in Capite XI. ej. tit. extat sancitum, quod sine  
dubio ex ædilitio Romanorum Edicto depromptum est.  
Coercetur in eodem dolus Venditoris, qui vitium animalis  
cujusdam venditi, quod ipsum animal inutile seu deterius  
reddit, reticet. Ita enim hac lege legitur: *Si quis equum seu  
aliud animal vendit & vitia quæ ejus usum impediunt, aut  
animal deterius reddunt, sciens & dolo malo reticet, ille te-  
netur animal recipere, si justo Tempore i. e. Mensis spatio  
redhibetur, & pretium emtionis reddere.* Qyanqvam enim  
alia etiam jura Germanica dolosæ ejusmodi venditioni pœ-  
nam præfixerint, qvemadmodum in ipso Jure Weichbild.  
art. 99. factum est; ista tamen jura, imprimis vero Saxonica,  
eqvorum solum mentionem faciant, qvorum favor in  
jure adeo eximius apud Germanos fuit, ut qvoqve in vitiis,  
quæ ipsis inhærent, determinandis, solliciti fuerint, reliquo-  
rum vero animalium, parem curam habuisse minime videan-  
tur. Hic vero Jus nostrum Culmense cum Romano exacte  
consentit, quod ad normam L. 1. §. 8. ff. de Aedilit. Edi-  
cto non tantum de eqvis, sed de omnibus pecudibus, quæ  
in commercio sunt, & usum dum vivunt hominibus præ-  
stant, intelligendum sit. Denique Jus Culmense liberam tri-  
buit potestatem Emtori, utrum velii Actionem Redhibitoriam  
instituere; an quanti minoris agere, quæ Actiones itidem ex  
Jure Civili originem traxerunt.

Restant ex Jure Romano plures contractus, qui consen-  
tualium nomine veniunt, nimirum locatio conductio, emphiteu-  
sis, societas & mandatum, nec non alii qvos cum Romanis quasi  
contractus appellaveris, qvorum omnium natura unice fere  
ex

DE CONTRACTIB. EX LEGIB. ROMANIS EMENDATO. 21

ex jure peregrino statuenda est, & qvæ de iis in qvibusdam legibus particularibus statuuntur, parum a jure communi differunt. Nos autem, qvibus verendum, ne limites dissertationis nostræ præfixos transgrediamur, eorum investigationi non ulteriorius immorabitur, cum pauca, qvæ in medium prolata sunt, sufficienter probent, Jura Romana nostras legum collectiones compluribus præceptis donasse. Scopo nostro, quantum in viribus fuit, qvod satis est fecimus, & unus qvisque ex veritatibus hic demonstratis facile evincet, nunquam Jus patrium tanta superstitione colendum qvin adorandum esse, ut præclaræ exterorum leges penitus negligantur nedum plane contemnatur.

TANTUM.



## МУТИАТ


VD  
18

ULB Halle  
002 713 802



3

SL,





B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

DISSE<sup>4,117. N6</sup>  
TATIO JURIDICA  
DE

JURE CULMENSI  
DOCTRINA DE CONTRACTIBUS  
EX LEGIBUS ROMANIS  
EMENDATO <sup>279</sup> <sup>1765, 1</sup>

QVAM  
PRÆSES

NOBILISSIMUS EXCELLENTISSIMUS AC JURIS  
CONSULTISSIMUS DOMINUS

N. DANIEL GRALATH  
JUR. VTR. D. JUR. ET HISTOR. PROF. PUBL. ORD.  
ET ATHEN. INSPECT.

ET

OTTLIEB WERNSDORFIUS

GEDANENSIS

ALUMNUS FISCHERO FERBERIANUS  
DIE XXVII. JUNII A. R. S MDCCCLXV.

IN AUDITORIO MAXIMO

PUBLICE DEFENDENT  
CONTRA OPPONENTES

CHRISTIANUM EMANUELEM FROM, MAR. BOR.  
JAMIN GOTTLIEB SCHMIDT, DANTISC.  
ESTUM SIGISMUNDUM DE BUCHHOLTZ,

EQV. CURONUM.

G E D A N I,

PIS THOMÆ JOANNIS SCHREIBERI, MAGNIF. SENATUS  
ET ATHENÆI TYPOGRAPHI.